



Renatus ex illustri familia comitum Nassouiorum natus, atq; in omni genere uirtutum educatus fuit. Is ab adolescētia arma tractauit, atq; Carolo Cæsari hinc inde suam operam strenuē præstitit. Itaque is suis uirtutibus effecit, ut Auaicę princeps in Belgia constitueretur. Erat is insigni corporis & animi uirtute præditus, unde Carolo Cæsari gratissimus extitit, & aurei uelleris ornamento decoratus fuit. Hunc etiam Imperator sæpius sui exercitus primariū ducem constituit. Cum uerò postea Vuilhelmus Cliuix dux bello uictus circa Ruremundam in castra ad Cæsarem supplex uenisset, atq; sui facti ueniam petiisset, anno 1543, die 7 Sept.

Cæsar surrexit. & Auaicę principi negotium dedit, ut Cliuensi leges præscriberet. id quod is magna animi moderatione præstitit. Sequenti anno Carolus maximo apparatu Gallo bellum mouit, atq; S. Desiderium obsidione cinxit, & altero mense per deditiōnem occupauit. Ea autem obsidione durante, Cæsar cum Renato ambulantes castra lustrabant. tum fortè tormenti globus adueniens, Renatum iuxta Cæsarem percussit, ut altero statim die uita fungeretur. Hanc eius mortem Carolus grauissimē tulit, & lachrymas emisit. senserat enim quantum principem amisisset. Verūm Renatus cum nullos liberos haberet, Guilhelmi comitis Nassouij filium suum patruelem hæredem instituit, atq; Cæsar id ratum habuit. Ioan. Sleid.